

cem successum in omnibus consiliis & in
tota gubernatione concedat, ut vera doctri-
na, quam & intelligit, DE I gratia, & publi-
cè tuetur, ipsius auxilio, DE O juvante, con-
servari & propagari possit, propter domi-
num & Salvatorem nostrum Jesum Christū,
cui cum Patre & Spiritu Sancto sit honor
laus & gloria per omne ævum, Amen.

~~~~~

## Orat. Funeb. VI.

### De translatione Eliæ.

2. Reg. 2. *Dum unà iret: ecce currus  
ignitus, &c.*



ARIS SIM I in Domino, Colo-  
phon & scopus Christianæ nostræ  
confessiones & consolationis est,  
quòd credimus vitam æternam,  
in qua post finalem copulationem carnis &  
animæ in æternum cum Christo & omni-  
bus beatis in cælo gaudebimus & tripudie-  
mus. Ejus solatii non solum articulus Sym-  
boli: Credo vitam æternam, sed etiam ex-  
empla præclara nos commonefaciunt, & de  
certitudine vitæ æternæ nos confirmant.  
Quale unum est hoc quod de rapto in cæ-  
lum Elia audivimus. Ut igitur exemplum

Finis fidei  
Christianæ.